



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. I. De nomine Caucorum. Id in Germania superesse, audaces ac impavidos notans. Aliarum exempla gentium afferuntur, quae ex suis delegere nationibus, queis aut vitii alicujus, aut virtutis, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007



IOANNIS SCHILDI
D. E.
CAUCIS,

Nobilissimo Veteris
GERMANIÆ POPULO,
LIBER PRIMVS.

C A P. I.

De nomine Caucorum. *Id in Germania superesse, audaces ac impavidos notans. Aliarum exempla gentium afferuntur, quæ ex suis delegere nationibus, quæis aut vitii alicujus, aut virtutis, affricarent appellationem. Cauci aliàs Chauci, & Cauchi. Cayci Lucano scribuntur & Claudiano. Rationes ejus scriptionis investigantur. Ad Ebraismi fontes acceditur.*

CAUCORVM scripturam ante Chaucos, vel Cauchos, habenti grande sese aperit, ab ipso nomine populi, claritudinis documentum. Quippe eam animorum præ se Cauci nobilitatem

A

tem

tem ferebant, ea de se omnium fruebantur opinione, ut, prolato Cauci nomine, magnum aliquid & excelsum audienti repræsentaretur. Etenim in hæc tempora durat ea loquendi formula Germano, quâ hominem spiritus & animositatis immodicum einen *Kaus* appellitat. Quemadmodum singuli ferè populi suarum aliquas nationum habent, & exterarum, quæ vel vitiis, vel virtutibus cognitiores, libenter ad risum, aut admirationem, in ore famæque omnium versantur. Gallis sæpiusculè sui copiam facere Vascones coguntur, atque Britones. Belgæ, obfirmatam alicujus constantiam laudaturo, tritum ac vulgarium est, *'tis een Batavier* / ob priscos ejus nationis animos: sicuti desultoriam comiter objurgaturo levitatem, illud haud rarò placet, *'tis een kluchtigen Griek* / ob vitium apprimè domesticum Græculis ac familiare. Et Fennorum Lapponumque nec spei nec metus capacia pectora, qualem sui mentionem sermonibus hominum intulerint, ex quo Septentrionis arma Germania persensit, satis unicuique nostratum est manifestum. Absque hac esset interpretatione, magnitudinem ejus populi, de quo scribimus, imprimis extollente, parum utique interesse ejus existimarem, Chaucorumne an Caucorum nomine posteritati noscerentur. Constat enim,
 ejulce-

ejuscemodi minutiarum indiligentem consi-
 gnationem haudquaquam religioni sibi liber-
 rimam duxisse vetustatem. Præterquam quòd
 dialectos quoque, pronunciationis duces at-
 que scriptiois, obtendere tantillæ varietati
 licet. Ut jam minùs quoque Plinii scripturam
 sollicitemus, ac Ptolemæi, qui *Cauchos* edi-
 dère. Quanquam Poëtæ Lucanus & Claudia-
 nus, qui *Caycos* trisyllaba voce cecinère, haud
 sunt indicti nobis abituri. Lucanus incogitan-
 tiæ librariorum, vocales *y* & *u* inscitè permut-
 tantium, suam debeat expressionem: sicut ii-
 dem τ *i* & *y* sæpius sibi transpositionem in-
 dulsère: ut in *Limyra* pro *Lymira*, in $\Gamma\tau\acute{\upsilon}\nu\eta$ pro
Utica: & in inscriptionibus est *Lybica* pro *Li-*
byca. Claudiano, quòd $\delta\mu\theta\lambda\epsilon\chi\upsilon\varsigma$ Lucani, quàm
 Historicorum, stare iudicio maluit, dicam
 haud censeo scribendam. Quod si, cum ma-
 gnis viris, apices eo tempore Græcorum cre-
 dimus ignorasse libros, haud paullò meliùs al-
 tera conjectura procedet. Cùm enim $\kappa\alpha\upsilon\eta\gamma\iota$ in
 iis deprehendissent, non $\kappa\alpha\upsilon\eta\gamma\iota$ legère, sed à se
 punctis, divisionis indicibus, adjectis $\kappa\alpha\upsilon\eta\gamma\iota$.
 Quæ lectio subrepsit instinctis à Phœbo, ac
 proin majora molientibus, tum quòd apud
 dictatorem suum, *Æneidos* I X. *Caycum* *Teu-*
crum reperissent, tum quòd *Cayci* *Lydorum*
fluvii, Græcis vatibus decantati, meminissent.

Sed, quod difficile nonnullis est, è tali modum retinere sapientia præstat. Namque si vela permittere conjectationi lubeat, quidni Cauchorum nomen ad Ebræorum fontes non quidem obtorto collo rapiam, sed leni ac facili originatione deducam? Illis כוחים *cochim* sunt vires, robora: quæ vox non similis, sed planè eademi est illi autoribus adamatæ, si in efferendo præcos æmulère: qui כּוּ אוּ, quod nunc geminato sono extendimus, in simplicem טּ o transire subinde malebant: adeò ut plurimis eorum Cauchi non alii fuerint, quàm Cochi. Prætereo, quòd, cùm Germanos ex גרים עיים *gerimanim* jampridem vir eruditus exsculpsit, quasi tu dixeris *inopes advenas*, si remps mihi jus esse debeat in Cauchis. Multa & alia tradere de vocis etymo promptum erat, quibus ordinem rerum morari, haud sanè operæ precium videbatur. Itaque in ipsius populi originibus investigandis exerceamur.

C A P. II.

De originibus Cauorum. *Arduum esse, gentium reperire primordia. Tantò magis animos nostros ad indagatationis excitari laborem. Asia populorum mater. Ex ea defluxisse Cauos. E qualibet affinitate vocum ordia populorum venari, frivolum. Caucones & Peloponnesi, & Ponti incolæ. Vtrorumque sedes. Vtrique Strabonis atate nulli. Causa desideratorum. Ad Ponticos*